



culosi peregrini aut galèotae. Sic ergo barbam et pilos cottidie lustret, quia si ibi superabundaverint, cogatur deponere barbam, et se dehonestare, quia exprobrabile est, non habere barbam in mari. Sic inutile est nutrire comam capitis, sicut quidam nobiles, nolentes eam deponere, quorum aliquos vidi adeo (54A) pediculosos, et omnes suos socios replebant, et omnes commorantes gravabant: nec verecundetur peregrinus petere socium, ut sibi quaerat in barba. Similiter de lotione frequenti camisiarum, quam faciunt galèoti, sit singularis diligentia et linteaminum et lectuli munditia curetur, ut eo quietior sit, quia, qui in istis est negligens, remanebit inquietus, et omnibus reddetur odiosus. Navigantes peregrini multas sustinent incommoditates et gravamina; inter omnes tamen incommoditates, dempta infirmitate propriae personae, molestissima et pessima incommoditas est, quando peregrinus bonus habet collateralem malum, invidiosum, impatientem, litigiosum, inquietum, iracundum et immundum; expertus sum hujus mali poenam, et e contrario impretiabilis thesaurus est socius collateralis rationalis, fidelis, patiens, quietus et mundus; et hoc idem experientia didici. Tantum enim bonum est habere collateralem talem, ut omnes aliae molestiae leves et tolerabiles videantur, et saepe gaudium in tribulatione habetur ex jocunditate socii. Multum cruciat peregrinos quidam malus foetor de galèa exhalans, qui non semper, sed pro tempore spirat, et ita male foetet, ut omnis alius foetor non sentiatur eo spirante. Quendam novi militem, qui foetore illo spirante solebat dicere grossis et impolitis verbis theutonicis: hominis posteriora et anteriora, latrinae, sentinae, stercus et urina, caseus putridus, cadaver, et inter pedicas rusticus, omnia haec sunt aromatica respectu illius foetoris. Quamvis autem sit valde malus foetor, non tamen laedit caput, nec vires debilitat, nec appetitum tollit, nec ad vomitum impellit, sed solum odoratum offendit et est amplior in antiquis galèis quam in novis. Praeter hunc factorem spirant alii, non quidem ita intensi, sed magis nocivi, ut de urinalibus, de cacabis infirmorum, de reservaculis cibariarum, caseorum et carniarum, et de aquis putridis, de lectulis et vestimentis sudoribus plenis, de stabulo bestiarum, de coquina, de sentina, de miseris galèotis; de quibus exhalat

156

154

160

150

165

145

205

105

255

055

Ende

Anfang